DE PAUSANIAE PERIEGETAE STUDIIS HERODOTEIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
ID. MART. CIƆIƆCCCLXXXIV
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

CONRADUS WERNICKE
BEROLINENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:
PETRUS JESSEN, DR. PHIL.
BOTHO GRAEF, CAND. PHIL.
GEORGIUS WENTZEL, CAND. PHIL.

TYPIS W. PORMETTERI
BEROLINI.

CAROLO ROBERT

S

Floruisse Antoninorum temporibus scriptorum genus exile quidem per se atque ieiunum, quod tamen imitatione spoliisque pristini temporis ornatum elatius incederet, quivis Luciani libellum legit elegantissimum qui inscribitur *πῶς δεῖ ἱστορίαν συγγράφειν*, libenter concedet. In quo (cap. 14—27) homo ingeniosus facetissime illusit rerum scriptores quales suo tempore extarent, miseros illos Herodoti Thucydidis Xenophontis aemulatores, qui cum antiqui temporis sapientiam scribendique artem sibi parare non possent, ad pusillam verborum imitationem confugerent neque haberent quo tenuitatem suam obtegerent nisi veterum auctorum frustulis undique conquisitis. Nunc Homerum, nunc comoediae scriptores, nunc Herodotum aliosve imitabantur, et hanc molem undique collectam tanquam pristini coloris plenam lectoribus proponebant.

Ex quibus intelligitur Herodoti libros tempore illo a multis non solum lectos esse, sed etiam ita probatos, ut nonnullos ad imitationem incitarent, cum interea ab aliis vel non probarentur, vel etiam impugnarentur. Illud videmus in libris Polyaeni, qui quotiens Herodotum exscripserit satis notum est; hoc illustratur exemplo libelli Plutarchei, qui inscribitur *περὶ τῆς Ἡροδότου κακοηθείας*.

Vixit autem Antoninorum quoque temporibus Pausanias, quem ex Syria quidem oriundum[1]), sed longo itinere per Italiam Grae-

[1]) Fuit enim Damascenus, cf. A. Westermann in Fleckeiseni annalibus 1839, p. 26 sqq. Cappadocem Pausaniam esse voluerunt Sylburgius nec non Schubartus (ed. mai. II. epistola critica ad Walzium), qui eundum eum esse contendit cum sophista (cf. Philostr. vit. soph. II. 13) neque repudiavit Palmerii coniecturam infelicissimam, qua e Damasceno, ut ait Constantin. Porphyrog. them. I. 2, Mazaceuus i. e. Caesareensis fit. Siebelis (ed. mai. I. p. IV—VIII. Hall. encycl. III. 14, p. 276 sqq.) Lydum existimavit esse periegetam, natum in Magnesia ad Sipylum sita, sed quas affert causae non nisi eum in illa Asiae regione diutius versatum esse ostendunt.

ciamque profectum certe ab aetatis sui studiis non alienum fuisse credas. Et fuerunt profecto, qui eum quoque Herodoti fuisse simium[2]) contenderent, Sylburgius praecipue et Valckenaerius, et qui primus copiosius de imitatione verba fecit Siebelisius (ed. mai.). Siebelisii comparationem in adnotationum multitudine dispersam et tanquam occultam diligenter composuit multisque novis auxit O. Pfundtner (Pausanias periegeta imitator Herodoti. diss. inaug. Regimont. 1866); qui quamvis nonnunquam mihi in imitatione pervestiganda nimius esse videatur[3]), tamen ita rem explicavit, ut de ea dubitari vix posset.

Sed non solum imitatus est Pausanias orationis Herodoteae formam, verum etiam exscripsit multa ex patris historiae libris; secutus est eum saepissime cum in universa scribendi fabulas recensendi partes Atheniensium agendi ratione, tum in singulis narrationibus; interdum ei etiam obloquitur eumque sive aperte sive tecte aggreditur, — quae omnia accuratius demonstrare huic libello propositum est.

Incitatus sum, ut in Pausaniae fontes inquirerem, praecique egregia Udalrici de Wilamowitz commentatione, cui inscripsit '*die Thukydideslegende*'[4]). Qua in commentatione vir doctissimus primus de Pausania ita iudicavit, ut eum hominem levissimi ingenii esse diceret, qui attentione abiecta omnia fere misceret. Ac primum quidem, ut fundamentum satis firmum sequenti disceptationi iaciamus, locos a Pausania Herodoti nomine citatos considerare necesse videtur.

---

[2]) Auctor huius cognominis, quod maximam Pausaniae propugnatorum excitavit iram, fuit Stephanus Parisinus s. v. *ὅσον*; ad rem cf. O. Pfundtner 'Pausanias periegeta imitator Herodoti' (diss. inaug. Regim. 1866), qui priorum quoque de ista imitatione affert iudicia, imprimis Valckenaerii et Siebelisii. praeter eum velim conferas ea quae dicunt J. Reichardt in '*Pauly, realencycl. d. class. altert*'. p. 1258 sqq., Chr. Schubart in Th. Bergk et J. Caesar, '*Ztschr. f. altert*'. 1851, p. 289 sqq.; Gustavus Krueger (theologumena Pausaniae. diss. Bonn. 1860) quamquam acriter invehit in Schubarti adversarios, tamen nihil fere affert novi.

[3]) neque enim licet eam illustrare singulis verbis apud utrumque scriptorem repertis, veluti *οἱ* pro *αὐτῷ* aliis. Scribitur illud *οἱ* non solum a Pausania, sed etiam a Luciano aliisque illius aetatis scriptoribus. Etiam O. Storch (syntaxeos Pausaniae particula prima. De anacoluthis. diss. inaug. Vratisl. 1869) nimis argute imitationem probare studet cf. p. 6.

[4]) Herm. XII, p. 326 sqq.

I.
HERODOTUS A PAUSANIA CITATUS.

Pausanius Herodotum quindecies laudat, quos locos ita recensebimus, ut librorum ordinem secuti quomodo Herodoto usus sit periegeta quaeramus.

LIBER I.

1. Paus. I. 5, 1. *ἀνωτέρω δὲ ἀνδριάντες ἑστήκασιν ἡρώων, ἀφ' ὧν Ἀθηναίοις ὕστερον τὰ ὀνόματα ἔσχον αἱ φυλαί. Ὅστις δὲ κατεστήσατο δέκα ἀντὶ τεσσάρων φυλὰς εἶναι καὶ μετέθετό σφισι τὰ ὀνόματα ἀντὶ τῶν ἀρχαίων, Ἡροδότῳ καὶ ταῦτά ἐστιν εἰρημένα.* cf. I. 29, 6.

Her. I. 66. *μετὰ δὲ τε-* 1
τραφύλους ἐόντας Ἀθηναίους δεκαφύλους ἐποίησε, τῶν Ἴωνος παίδων Γελέοντος καὶ Αἰγικόρεος καὶ Ἀργάδεω καὶ Ὅπλητος ἀπαλλάξας τὰς ἐπωνυμίας, ἐξευρὼν δὲ ἑτέρων ἡρώων ἐπωνυμίας ἐπιχωρίων, πάρεξ Αἴαντος· τοῦτον δέ, ἅτε ἀστυγείτονα καὶ σύμμαχον, ξεῖνον ἐόντα, προσέθετο.

Brevis his verbis commentarius opus est; ipsa enim quid sibi velint clamant: illustrant scriptoris nostri consuetudinem (multis exemplis in sequentibus explicandam) inserendi ubiubi licuit locum ex Herodoto arcessitum. Ita hic quoque inserit iis, quae vel ex memoria vel ex periegetico suo fonte de *ἐπωνύμων* statuis dicit, talia quibus Herodotum non exscriberet, immo vero ad ipsius Halicarnassei libros evolvendos lectores incitare videretur. Verba autem *καὶ ταῦτα* minus huc quadrare quam ex scriptoris consuetudine dicta esse manifestum est: neque enim, quae antea narravit Pausanias, in Herodoti libris inveniuntur; quamobrem *καὶ ταῦτα* nihil aliud significant nisi ‘haec quoque uti multa alia, quae ex illo tacite deprompsi’. Inseruit autem fortasse verba Herodotea loco disputationis amplioris in fonte suo (Polemone?) inventae.

2. Paus. I. 33, 4. *Νασαμῶνες γάρ, οὓς Ἄτλαντας* 2
Ἡρόδοτος, οἱ δὲ μέτρα φάμενοι γῆς εἰδέναι, Λιξίτας καλοῦσι, Λιβύων οἱ ἔσχατοι πρὸς Ἄτλαντα οἰκοῦσι, σπείροντες μὲν οὐδέν, ἀπὸ δὲ ἀμπέλων ζῶντες ἀγρίων.

Scripsit haec verba Pausanias in iis, quae de Aethiopiae partibus copiose Atticis suis inseruit. Cuius disputationis ansam praebet Nemeseos Rhamnusiae statua, Agoracriti clarissimum opus, quod alii perperam ipsi Phidiae tribuerunt[5]); quae cum dextera pateram teneret Aethiopum figuris ornatam, fuerunt qui id ita ab artifice ideo institutum esse arbitrarentur, quod Aethiopes ad Oceanum fluvium sedes haberent, Oceanus autem pater esset Nemeseos; quae deae Rhamnusiae genealogia quamquam praeterea semel quoque idque in schol. Lyc. 88 commemoratur, tamen procul dubio ad summam antiquitatem referenda nec sine probabilitate Cypriorum auctori tribuenda est[6]). Cuius opinionis particeps is quoque videtur fuisse, cuius libros periegeticos Pausanias in Atticis componendis maxime adhibuit, qui si non ipse fuit Polemo, at certe Polemonem non solum imitatus est, sed etiam compilavit. At repugnat huic sententiae Herodotus, qui II. 23 ita dicit: *οὐ γάρ τινα ἔγωγε οἶδα ποταμὸν Ὠκεανὸν ἐόντα, Ὅμηρον δὲ ἤ τινα τῶν πρότερον γενομένων ποιητέων δοκέω τὸ οὔνομα εὑρόντα εἰς ποίησιν ἐσενείκασθαι.* Quae dissensio manifesta periegetam incitavit, ut accuratius de Aethiopibus eorumque terra dissereret; ipse Herodoti sententiam defendit et lectoribus probare studet neque esse fluvium Oceanum neque habitare in Oceani litore Aethiopicas gentes. Qua de causa si recte discernere volemus, quatenus Herodoti auxilio usus sit Pausanias in rebus Aethiopicis enarrandis, facere non poterimus, quin totam disputationem perlustremus. Ac primum quidem dicitur *Ὠκεανῷ γὰρ οὐ ποταμῷ, θαλάσσῃ δὲ ἐσχάτῃ τῆς ὑπὸ ἀνθρώπων πλεομένης, προσοικοῦσιν Ἴβηρες καὶ Κελτοί, καὶ νῆσον Ὠκεανὸς ἔχει τὴν Βρεττανῶν.* Verba priora ex Herodoti l. l. sumta esse apparet; reliqua ex fonte nescio quo geographico hausta sunt. Iam scriptor illorum Aethiopum qui supra Syenen sedes haberent ultimos ad mare rubrum habitare dicit Ichthyophagos circa sinum ab ipsis Ichthyophagorum dictum. Qua in re cum Pausanias Herodoto non adsentiretur,

---

[5]) cf. Wilamowitzii librum qui inscribitur '*Antigonos von Karystos*' in disquisitionibus philologicis a Kiesslingio et Wilamowitzio editis IV. Berol. 1881. p. 10 sqq.

[6]) adde Paus. VII. 5, 3, ubi eundem fontem periegeticum, quo in Atticis usus est, verbis *οἱ Ἀθηναῖοι* aperte designat. Cum autem carminis Cyprii poëta fabulam de Nemeseos mutationibus narraret (cf. Athen. VIII, p. 334 B—D), coniiciendum est, deam factam esse ab illo filiam Oceani; Oceani enim filia sicut aliae maris deae mutationis artem habebat.

qui III. 19 a Cambyse Persarum rege missos esse speculatores in Aethiopum fines dixerat Ichthyophagorum *ἄνδρας τοὺς ἐπισταμένους τὴν Αἰθιοπίδα γλῶσσαν*, haec verba ad alterum illum fontem ignotum referenda videntur; Aethiopes tamen supra Elephantinen (id quod idem est, ac si Syene esset nominata) habitantes etiam apud Herodotum (II. 29) inter gentes Aethiopicas numerari sane dignum est quod animadvertatur. *οἱ δὲ δικαιότατοι Μερόην πόλιν καὶ πεδίον Αἰθιοπικὸν καλούμενον οἰκοῦσιν· οὗτοι καὶ τὴν ἡλίου τράπεζάν εἰσιν οἱ δεικνύντες, οὐδέ σφισιν ἔστιν οὔτε θάλασσα οὔτε ποταμὸς ἄλλος γε ἢ Νεῖλος.* Ac primum quidem hoc loco confundit Pausanias cum Meroës incolis eos quos Solis tabulam ostendere in Herodoto legit Macrobios; Herodotus enim duas primum Aethiopum distinguit gentes, Aethiopes occidentales atque orientales, quorum hos Indorum finitimos in Gedrosiae fere regione habitare credit[7]), illos autem terram Aegypto confinem vel Libyae partem meridionalem incolere; Libycorum genera quattuor commemorat Aethiopum: homines pascua peragrantes ait habitare dimidium insulae Tachompso supra Elephantinen sitae[8]) (de iis iam dictum est); a quibus differre eos, quorum urbs Meroë caput sit, nec non istos, qui homines parva corporis statura regionem ab Nilo fluvio occidentalem habitent[9]); iam reliqui sunt quos Macrobios vocat Solisque tabulam habere dicit; quos cum Herodotus meridionalem Libyae oram habitare[10]) omniumque terrarum ultimam ad Africum ventum[11]) incolere tradat, negandum est eosdem eos esse atque eos qui Meroën obtinebant. Quare cum Solis tabulam Meroës incolis tribueret, neglexisse Pausaniam ea quae apud illum II. 114 dicuntur apertum est; ipsam Solis tabulam quin ex Herodoto sumpserit dubitari nequit; neque enim quisquam praeter hunc[12]) de pia illa fraude verba fecit, et ipse Pausanias more illo antiquo magnopere delectatus alibi ita repetivit eius memoriam, ut Herodoti verba sup-

---

[7]) Sic inde ab Homero discernere homines consueverunt.

[8]) Her. II. 29 sqq.

[9]) Her. II. 32, ubi Nasamonum quorundam expeditionem enarrat in deserta Libyae factam ad Nili fontes explorandos.

[10]) Her. II. 17.

[11]) Her. II. 114. *ἀποκλινομένης δὲ μεσαμβρίης παρήκει πρὸς δύνοντα ἥλιον ἡ Αἰθιοπίη χώρη ἐσχάτη τῶν οἰκεομενέων.* quae sequuntur docent Macrobios esse intelligendos.

[12]) Her. III. 17—19; 23.

plenda esse omnibus pateret. Dixit enim VI. 26, 2. *λέγουσι δὲ καὶ Ἄνδριοι παρὰ ἔτος σφίσιν ἐς τοῦ Διονύσου τὴν ἑορτὴν ῥεῖν οἶνον αὐτόματον ἐκ τοῦ ἱεροῦ. Εἰ πιστεύειν χρὴ ταῦτα Ἕλλησιν, ἀποδέχοιτο ἄν τις τῷ λόγῳ γε τῷ αὐτῷ καὶ ὅσα Αἰθίοπες οἱ ὑπὲρ Συήνης ἐς τοῦ ἡλίου τὴν τράπεζαν λέγουσιν,* i. e., ut cum Herodoto pergamus, *ταῦτα* (sc. *τὰ κρέα ὀπτά*) *τὴν γῆν αὐτὴν ἀναδιδόναι ἑκάστοτε.* Quodsi confundit duas illas gentes Pausanias, cognomen *οἱ δικαιότατοι* forsitan declarari possit ex iis, quae apud Herodotum de Macrobiis traduntur, sed ipsum cognomen apud eum non invenitur. Attamen prorsus novus est campus Aethiopicus, qua de causa eum alteri periegetae fonti tribuamus necesse est. Quod deinde Meroës incolis nullum esse neque mare neque flumen nisi Nilum dicit, ad ipsius ratiocinationem pertinet. *εἰσὶ δὲ καὶ ἄλλοι πρόσοικοι Μαύροις Αἰθίοπες ἄχρι Νασαμώνων παρήκοντες. Νασαμῶνες γὰρ κτλ.* Designari his verbis parvas illas quas Herodotus dicit gentes haud difficile intelligitur. Nunc denique Herodotus iamdiu consultus nominatur, sed — id quod maxime mirum est — quae ei crimini vertuntur omnino non dixit. Ita enim lectores docuit[13]: incolere Libyae oram ab Aegypto usque ad lacum Tritonida hasce gentes, Adyrmachidas Giligamos Asbystas Auschisas (quibus in mediterraneis finitimi essent Bacales) Nasamones Psyllos Macas Gindanes Lotophagos Machleas Auseas; ex Nasamonum autem finibus usque ad montem Atlantem enumerat Garamantes Atarantes Atlantes, quorum ultimos circa ipsum montem sedere dixit. Videtis, quomodo Herodotum suum intellexerit Pausanias: omnia perturbavit; quia in fonte suo (Her. II. 32) iter Nasamonum in parvorum Aethiopum fines factum invenit, conclusit vicinos esse Nasamones atque Aethiopes parvos; qua de causa illos infimum montem Atlantem incolere sibi finxit; ubi cum alio Herodoti sui loco (IV. 187 sq.) Atlantes sedere legeret, eosdem atque Nasamones eos ab Herodoto putari collegit[14]). Lixitas eorumque vitam ad alterum fontem pertinere patet; eidem quae de Atlante rivis-

---

[13]) inde ab IV. 172.

[14]) aliter de hac re iudicavit O. Pfundtner '*die historischen quellen des Pausanias*' in Fleckeis. annal. 99. p. 441 sq., qui omnia memoriter citata esse dixit. Sed aperte operam dedit Pausanias, ut ea quae Herodotus de Aethiopibus diceret, colligeret omnia et cum fonte suo compararet. Quare accidit bono periegetae, ut quae vel ipsi Herodoto non satis liquerent (vero enim longius ab ora abesse Atlantem putavit) mirum in modum confunderet.

que tribus ex eo oriundis narrantur, quin tribuamus facere non possumus. Deinde periegeta cum totius disputationis summam paucis complexus esset verbis[15]), ex eodem fonte nonnulla de Atlante adnectit; sed in illis quoque, etsi magis recondita, insunt Herodotea. Velim enim conferas[16])

Paus. I. 33, 6. *καὶ πρὸς τῇ πηγῇ κροκόδειλοι διπήχεων ἦσαν οὐκ ἐλάσσους.*

Paus. II. 28, 1. *Λιβύη μέν γε μόνη κροκοδείλους τρέφει χερσαίους διπήχεων οὐκ ἐλάσσονας, παρὰ δὲ Ἰνδῶν ......*

Her. IV. 122. *κατὰ τοὺς νομάδας* (sc. *Λιβύας*) *δέ ἐστι τούτων οὐδέν, ἀλλ' ἄλλα τοιάδε, ... καὶ κροκόδειλοι ὅσον τε τριπήχεις χερσαῖοι, τῇσι σαύρῃσι ἐμφερέστατοι, ...*

Congruere verba manifestum est, nisi quod paullulum variantur a periegeta; ex tribus enim cubitis duos fecit, qua variatione minuta tantopere delectari videtur, ut verba in Corinthiacis repeteret[17]).

3. Paus. I. 43, 1. *οἶδα δὲ Ἡσίοδον ποιήσαντα ἐν καταλόγῳ γυναικῶν Ἰφιγένειαν οὐκ ἀποθανεῖν, γνώμῃ δὲ Ἀρτέμιδος Ἑκάτην εἶναι. τούτοις δὲ Ἡρόδοτος ὁμολογοῦντα ἔγραψε, Ταύρους τοὺς πρὸς τῇ Σκυθικῇ θύειν παρθένῳ τοὺς ναυαγούς, φάναι δὲ αὐτοὺς τὴν παρθένον Ἰφιγένειαν εἶναι τὴν Ἀγαμέμνονος.*

Her. IV. 103. (*Ταῦροι*) 3
θύουσι μὲν τῇ παρθένῳ τούς τε ναυηγοὺς καὶ τοὺς ἂν λάβωσι Ἑλλήνων ἐπαναχθέντες τρόπῳ τοιῷδε· ...... τὴν δέ δαίμονα ταύτην, τῇ θύουσι, λέγουσι αὐτοὶ Ταῦροι Ἰφιγένειαν τὴν Ἀγαμέμνονος εἶναι.

---

15) *οὕτως Αἰθίοπες ποταμῷ γε οὐδενὶ προσοικοῦσιν Ὠκεανῷ.* quod est *ἢ* in codicibus ante verbum *Ὠκεανῷ* cum iam Siebelius suo iure eiecerit, mirum est Bekkerum Schubartum restituisse.

16) Comparavit iam Her. IV. 192 cum Paus. II. 28, 1. O. Pfundtner in Fleckeis. ann. l. l., ubi pauca proposuit quae ex Herodoto fluxisse sibi visa essent.

17) Similis mutationis exemplum in sequentibus proponam. cf. cap. II. n. 88. Fons geographicus, quo praeter Herodotum usus est periegeta, forsitan Artemidorus fuerit Ephesius; sed hanc quaestionem quanticunque mo-

Periegeta ubi Iphigeniae heroum in Megarensium finibus commemoravit, contendere eos mortuam esse in urbe sua Iphigeniam narrat, Argivis autem se aliam comperisse fabulae esse formam[18]; at ex Hesiodo intelligi Hecata eam nomine immortalitatem esse nactam; quibus Herodotus adsentiatur, cum eam in Scythia apud Tauros divinis coli honoribus tradat. Addenda esse his Hesiodi Herodotique sententiis ea quae[19]) Pausanias II. 22, 7 affert ex Euphorione et Alexandro Pleuronio Wilamowitzius vidit, cuius velim conferas ingeniosam atque acutam disputationem. Cum igitur Pausanias ex compendio suo mythologico Hesiodi Stesichori Euphorionis Alexandri sententias disceret, sua sponte Herodoti locum addidit.

LIBER II.

4 1. Paus. II. 16, 1. *Ἰὼ μὲν οὖν Ἰάσου θυγάτηρ, εἴτε ὡς Ἡρόδοτος ἔγραψεν εἴτε καθ' ὃ λέγουσιν Ἕλληνες, ἐς Αἴγυπτον ἀφικνεῖται.*

cf. Her. I. 1 sqq.; 5.

De Ionis erroribus fabulam a scriptore nostro iam in fonte suo, quo in Argolidis regum catalogo usus est, inventam esse facile ex ipsius verbis intelligitur. Nam illi narrationi, quam ipsorum esse Graecorum dixit, opposuit Herodoteam historiae formam. Id quod suo iure fecit, cum ipse Herodotus se quae Persae Phoenicesque de Ione narrarent relaturum disertis verbis esset pollicitus. Illi autem nihil omnino sciunt de Ionis sacerdotio, nihil de Iovis amore, nihil de puella in vaccam mutata custoditaque ab Argo, nihil de Oestro vel de Ionis per universum orbem terrarum erroribus usque ad Aegyptum perductis, sed eam a mercatoribus Phoenicibus raptam et Argis in Aegyptum avectam

---

menti est ad periegetae fontes pervestigandos, nostra quidem disquisitio leviter tantum attingere potest, cum ad finem perduci nequeat nisi copiosa accurataque demonstratione.

[18]) Quod Wilamowitzius (*'die beiden Elektren'* Herm. XVIII. p. 252, 2) errore a Pausania Arcadum nomen pro Argivis positum esse existimat, ita hoc verbis exprimi noluerim; cum enim illud certe erui non possit, utrum Pausaniae talis sit scribendi error an scribae (id quod mihi quidem magis placet) tribuendus, cur non Argivorum nomen reponamus? Nam servandi sunt in veterum scriptis cogitandi errores, (e quibus scriptorum indoles elucet), scribendi errores tollamus oportet.

[19]) Stesichorus enim Hesiodeam habuit mythi formam, cf. Philodem. *περὶ εὐσεβείας* ed. Th. Gomperz (*'Herculanische Studien'* II.) tab. 52a.

esse tradunt. Quibus Poeni sua sponte eam in navem venisse addunt, quod ex nautarum aliquo gravida dedecus poenamque metuisset. Hanc historiolam ab omnibus Graecorum narrationibus toto caelo abhorrentem facere non potuit periegeta, quin lectoribus suis in memoriam revocaret; ipse Herodotus fortasse ex Hecataei historiis eam deprompsit, quippe quem persaepe pristini temporis fabulas esse incredibiles ratum suo eas arbitrio ad humanam rationem accommodasse constaret.

2. Paus. II. 20, 10. *πρότερον δὲ ἔτι τὸν ἀγῶνα τοῦτον προεσήμηνεν ἡ Πυθία, καὶ τὸ λόγιον εἴτε ἄλλως εἴτε καὶ συνεὶς ἐδήλωσεν Ἡρόδοτος.*

„ἀλλ' ὅταν ἡ θήλεια τὸν ἄρρενα νικήσασα
ἐξελάσῃ καὶ κῦδος ἐν Ἀργείοισιν ἄρηται,
πολλὰς Ἀργείων ἀμφιδρυφέας τότε θήσει."

τὰ μὲν ἐς τὸ ἔργον τῶν γυναικῶν ἔχοντα τοῦ χρησμοῦ ταῦτα ἦν.

Her. VI. 77. *ἐνθαῦτα δὴ οἱ Ἀργεῖοι τὴν μὲν ἐκ τοῦ φανεροῦ μάχην οὐκ ἐφοβέοντο, ἀλλὰ μὴ δόλῳ αἱρεθέωσι· καὶ γὰρ δή σφι ἐς τοῦτο τὸ πρῆγμα εἶχε τὸ χρηστήριον τὸ ἐπίκοινα ἔχρησε ἡ Πυθίη τούτοισί τε καὶ Μιλησίοισι, λέγων ὧδε·*

„ἀλλ' ὅταν ἡ θήλεια τὸν ἄρσενα νικήσασα
ἐξελάσῃ καὶ κῦδος ἐν Ἀργείοισιν ἄρηται,
πολλὰς Ἀργείων ἀμφιδρυφέας τότε θήσει.
ὥς ποτέ τις ἐρέει καὶ ἐπεσσομένων ἀνθρώπων·
δεινὸς ὄφις τριέλικτος ἀπώλετο δουρὶ δαμασθείς."

Pausanias narrat Cleomenem filium Anaxandridae, Lacedaemoniorum regem, Argivos aggressum[20]) multos quidem eorum proelio commisso interfecisse, reliquorum autem qui in Argi nemus confugissent alios dolo igni alios delevisse. Deinde autem cum adversus Argos viris privatas exercitum duxisset, Telesillam poëtriam collectis armatisque mulieribus tam strenue fortiterque ei restitisse, ut turpe esse ratus hoc certamine cum mulieribus commisso et vincere et vinci, re infecta domum rediisset. Id

---

[20]) Perverse eum III. 4, 1 initio regni sui id fecisse dicit, cum ex Herodoto invasionem factam esse brevi ante Miletum captam intelligatur. cf. Her. VI. 19; 76sqq.

quod iam Pythiae verbis praedictum esset, quae num Herodotus non intellexerit aut sciens veram interpretationem praetermiserit se dubitare. Ille vero sane non ita intellexit oraculum uti Pausanias, sed miraculo quodam perterritum Cleomenem ex Argivorum terra revertisse tradit. Sic enim res gestas enarrat: Cleomeni Apollinem consulenti responsum datum se Argos capturum esse; quamobrem cum in Tirynthis regionem invaderet, Argivos Hesipiae, quae est prope Tirynthem sita, obviam ei venisse, ibique utrumque exercitum castra posuisse. Tum Argivos veritos, ne dolo deciperentur (memoria enim tenebant oraculum a Pythia datum), hostium praecone uti constituisse. Sed Cleomenem, qui id cognovisset, alia praeconem pronuntiare alia iussisse milites facere. Quare deceptos Argivos multos quidem ferro interemtos, plures autem, qui in Argi nemus confugissent, proditione atque igne necatos esse. Quo facto regem cum quaesisset, cuius deorum nemus esset sacrum, audiissetque Argi, cognovisse, ultra sibi progredi non esse a fato constitutum, qua sententia miraculo quodam firmata domum revertisset. Quoniam autem Herodotus nihil de Telesilla narravit, ignotam ei fuisse illam de poëtria fabellam certissimum est; quod si verum est, aliter eum intellexisse oraculi sententiam patet. Atque hoc quidem Pausanias quoque vidit, sed paucis verbis praetermittit cum ad Telesillae historiam oraculum ex Herodoto sumtum adnecteret. Ac primum quidem illud manifestum est Argivarum luctum ab Herodoto ad coniuges filiosque Cleomenis iussu trucidatos referri. Reliqua si interpretari volumus, exeundum videtur ab ultimis versibus, qui apud solum Herodotum inveniuntur. (Pausanias enim quique eum exscribit Suidas omittunt.) In quibus verba *δεινὸς ὄφις τριέλικτος* ipsius Argi ab Argivis culti numen significare apparet, siquidem ille simul cum viris occisis *ἀπώλετο*[21]); tum *τὸν ἄρσενα* victum ad Cleomenem referendum esse, verba autem *ἡ θήλεια* ad Argivorum deam Heram[22]) unus quisque concedet. Tota autem Halicarnassei nar-

---

[21]) Argus apud Aeschylum Prom. 676 Kirchh. et Acusilaum (Apollod. bibl. 36, 30 Bekk.) vocatur *γηγενής* cf. Bekk. Anecd. p. 442: *Ἀργειφόντης* — *ὀφιοκτόνος*.

[22]) Haec Odofredi Muelleri (in libro qui inscribitur '*die Dorier*' I. p. 174. not. 3 ed. Schneidew.) interpretatio ideo mihi Herodoti verbis aptior videtur esse quam Henrici Steinii (in editione Herodoti), qui Hesipiam illam *θήλειαν* esse putavit; poterat enim Cleomenes ab Hera quidem dici victus esse, ab Hesipia minime.

ratio prorsus fide digna atque probabilis est; sin autem quis praeter Cleomenis superstitionem excitatam aliam quoque cur domum reverterit causam desideret, is discordiam potius inter regem eiusque collegam inimicissimum Demaratum exortam castra Lacedaemoniorum removisse censebit quam legionis illius femineae metum. Quae fabula videtur fuisse post Herodoti demum aetatem inventa, ad explicandam oraculi sententiam iam obscuram, et ad interpretandum simulacrum illud a Pausania commemoratum[28]). Scripserunt autem praeter Pausaniam de poëtria Plutarchus (de mull. virt. IV. p. 247 A) Polyaenus (strateg. VIII. 33) Clemens Alexandrinus (strom. IV. 19, 122) Lucianus (amor. 30) Suidas (s. v. *Τελέσιλλα*) Syncellus (p. 247 Bonn.). Polyaenus Plutarchum exscripsit, Pausaniam Suidas, Plutarchus Socratem Argivum; ab reliquis tribus non nisi brevissima Argivae fit mentio. Pausanias autem sua non ex Plutarcho hausit, sed manifesto eodem quo hic fonte usus est Socrate Argivo. Ex quo omnia habet, quae de Telesilla dicit, narrationi autem ex eo excerptae addit duo Herodoti frustula, alterum de oraculo, alterum hisce verbis:

Paus. II. 20, 8. *καὶ τῶν μὲν ἐν αὐτῇ πεπτωκότων τῇ μάχῃ, ὅσοι δὲ ἐς τὸ ἄλσος τοῦ Ἄργου κατέφευγον διαφθαρέντων καὶ τούτων τὰ μὲν πρῶτα ἐξιόντων κατὰ ὁμολογίαν, ὡς δὲ ἔγνωσαν ἀπατώμενοι, συγκατακαυθέντων τῷ ἄλσει τῶν λοιπῶν.* cf. III. 4, 1.	Her. VI. 78. *καὶ πολλοὺς μὲν ἐφόνευσαν αὐτῶν πολλῷ δὲ ἔτι πλεῦνας ἐς τὸ ἄλσος τοῦ Ἄργου καταφυγόντας περιιζόμενοι ἐφύλασσον.* In sequentibus quae Pausanius paucis tantum verbis indicat, copiose enarrantur.

[28]) Paus. II. 20, 8. Quod simulacrum recte Odofredus Muellerus (*Dorier* II. p. 366 not. 7) opus caelatum fuisse existimavit; semper enim verbo *ἐπείργασται* hoc significat Pausanias, cf. Schubartum in Philologo XXIV. p. 581 —587. Fuit tabula votiva Veneri sacra, qua non Telesillam, sed ipsam Venerem repraesentatam fuisse equidem cum Odofredo Muellero putaverim; neque enim quinto saeculo hominum imagines in tabulis votivis sculpi solebant, nec libri a Pausania commemorati magis ad poëtriam quam ad deam quadrant, cum illi lyra fuisset danda, non libri; equidem quid libri sibi velint non intelligo. Quae praeterea commemoratur Telesillae imago (Tatian. c. Graec. 34), statuae ab Nicerato Euctemonis filio Atheniensi confecta, forsitan post Nicerati demum aetatem (vixit circa Ol. 90, cf. Plin. XXXIV. 88 Detl.: nec minus Niceratus omnia quae ceteri adgressus repraesentavit Alcibiaden lampadumque accensu matrem eius Damareten sacrificantem) mala interpretatione Telesillae nomen inditum sit.

6 3. Paus. II. 30, 4. *τά δὲ ἐς τὴν Αὐξησίαν καὶ Δαμίαν, ὡς οὐχ ὗεν ὁ θεὸς Ἐπιδαυρίοις, ὡς τὰ ξόανα ταῦτα ἐκ μαντείας ἐποιήσαντο ἐλαίας παρ' Ἀθηναίων λαβόντες, ὡς Ἐπιδαύριοι μὲν οὐκ ἀπέφερον ἔτι Ἀθηναίοις ἃ ἐτάξαντο, οἷα Αἰγινητῶν ἐχόντων τὰ ἀγάλματα, Ἀθηναίων δὲ ἀπώλοντο οἱ διαβάντες ἐπ' αὐτὰ ἐς Αἴγιναν, ταῦτα εἰπόντος Ἡροδότου καθ' ἕκαστον αὐτῶν ἐπ' ἀκριβὲς οὔ μοι γράφειν κατὰ γνώμην ἦν εὖ προειρημένα, πλὴν τοσοῦτό γε ὅτι εἶδόν τε τὰ ἀγάλματα καὶ ἔθυσά σφισι κατὰ τὰ αὐτὰ καθὰ δή καί Ἐλευσῖνι θύειν νομίζουσιν.*

Damiae Auxesiaeque cultus cur Epidauro Aeginam transierit, discimus ex Herodoto V. 82—84, qui omnia quomodo accidissent deinceps narravit. Quamobrem cum Pausanias in Aeginae descriptione simulacra dearum commemorasset, fabulam ex Herodoto sumpsit vel potius lectores ad illius libros evolvendos adhortatus est. Quod autem dicit, eodem modo quo apud Eleusinios coli deas, illud quoque Herodotus copiosius illustravit, qui choros femineos diebus festis saltare mulieresque indigenas petulantia iocisque persequi tradidit; quae omnia in sacris quoque Eleusiniis usitata fuisse satis notum est. Ceteroquin autem cognatione quoque coniunctas esse quadam cum Cerere et Proserpina deas illas agrestes, quibuscum compari possunt Thallo Auxo Carpo Atheniensium, Cleta Phaënna Lacedaemoniorum, Cleso Tauropolis Megarensium, quivis libenter concedet.

LIBER III.

7 1. Paus. III. 2, 3 sq. *ἔτεσι δὲ ὕστερον οὐ πολλοῖς Λαβώτας ὁ Ἐχεστράτου τὴν ἀρχὴν ἔσχεν ἐν Σπάρτῃ. τοῦτον τὸν Λαβώταν Ἡρόδοτος ἐν τῷ λόγῳ τῷ ἐς Κροῖσον ὑπὸ Λυκούργου τοῦ θεμένου τοὺς νόμους φησὶν ἐπιτροπευθῆναι παῖδα ὄντα. Λεωβώτην δέ οἱ τίθεται τὸ ὄνομα καὶ οὐ Λαβώταν. ...... ἔθηκε δὲ καὶ Λυκοῦργος Λακεδαιμονίοις τοὺς νό-*

Her. I. 65. *Λυκούργου τῶν Σπαρτιητέων δοκίμου ἀνδρὸς ἐλθόντος ἐς Δελφοὺς ἐπὶ τὸ χρηστήριον, ὡς ἐσήιε ἐς τὸ μέγαρον, εὐθὺς ἡ Πυθίη λέγει τάδε·*

ἥκεις, ὦ Λυκόοργε, ἐμὸν ποτὶ πίονα νηὸν
Ζηνὶ φίλος καὶ πᾶσιν Ὀλύμπια δώματ' ἔχουσιν.
δίζω ἤ σε θεὸν μαντεύσομαι ἢ ἄνθρωπον.
ἀλλ' ἔτι καὶ μᾶλλον θεὸν ἔλπομαι, ὦ Λυκόοργε.

οἱ μὲν δή τινες πρὸς τού-

μους ἐπὶ τῆς Ἀγησιλάου βασιλείας. θεῖναι δὲ αὐτὸν λέγουσιν οἱ μὲν παρὰ τῆς Πυθίας διδαχθέντα ὑπὲρ αὐτῶν, οἱ δὲ ὡς Κρητικὰ ὄντα νόμιμα ἐπαγάγοιτο.

τοισι λέγουσι καὶ φράσαι αὐτῷ τὴν Πυθίην τὸν νῦν κατεστεῶτα κόσμον Σπαρτιήτῃσι· ὡς δ' αὐτοὶ Λακεδαιμόνιοι λέγουσι, Λυκοῦργον ἐπιτροπεύσαντα Λεωβώτεω, ἀδελφιδέου μὲν ἑωυτοῦ, βασιλεύοντος δὲ Σπαρτιητέων, ἐκ Κρήτης ἀγαγέσθαι ταῦτα. ὡς γὰρ ἐπετρόπευσε τάχιστα, μετέστησε τὰ νόμιμα πάντα καὶ ἐφύλαξε ταῦτα μὴ παραβαίνειν.

De Lycurgi aetate quaestionem esse difficillimam, cum omnes fere scriptores de ea dissentiant, iam Plutarchus (vit. Lyc. c. 1) queritur, nec facere possumus etiam nostra aetate quin ei adsentiamur. Quam difficultatem Pausanias non modo non cognovit, sed ne sensit quidem; ab illo enim fonte, quo usus est in regum Laconicorum historia enarranda, duabus rebus differt Herodotus: Agiadam dicit Lycurgum et Labotae aequalem. Quorum animadvertit illud Pausanias, hoc neglexit; quamvis enim in fonte suo Agesilai tempore ab Lycurgo leges esse latas inveniret, tamen Lycurgum Labotae tutorem fuisse ex Herodoto commemoravit; cum autem hic patruum fuisse Labotae, itaque Agiadam eum dixisset, periegeta consulto verba *ἀδελφιδέου μὲν ἑωυτοῦ* omisit, quia Eurypontidam fuisse Lycurgum ex fontis sui traditione sciret. Itaque formae tantum varietatem adnotavit, qua rex Lacedaemonorium ab Herodoto Ionice *Λεωβώτης* diceretur. Praeterea de ipsarum legum origine duas ex Herodoto affert traditiones, alteram Delphicam, alteram Lacedaemoniorum.

2. Paus. III. 25, 7. *ἀναθήματα δὲ ἄλλα τέ ἐστιν ἐπὶ* 8
Ταινάρῳ καὶ Ἀρίων ὁ κιθαρῳδὸς χαλκοῦς ἐπὶ δελφῖνος. τὰ μὲν οὖν ἐς αὐτὸν Ἀρίονα καὶ τὰ ἐπὶ τῷ δελφῖνι Ἡρόδοτος εἶπεν ἀκοὴν ἐν τῇ Λυδίᾳ συγγραφῇ.

cf. Her. I. 23 sqq.

Ut modo de Clisthene Telesilla Aethiopibus vidimus, hic quoque ad monumentum interpretandum adiicit Pausanias *λόγον* ex Herodoto (et recte quidem periegeta Lydorum historiam nominat,

cui ille fabellam inseruit) suntum[24]): sed haec Herodoteae narrationis brevis commemoratio ei non sufficere videbatur, immo ansam ei praebuit, cur longius ab proposito evagaretur: namque adnectit ex fonte aliquo paradoxographico aliam fabulam, quae ad delphinos eorumque mansuetudinem spectat[25]).

LIBER IV.

9 1. Paus. IV. 35, 12. *τὸν δὲ Ἡρόδοτον οἶδα εἰπόντα ὡς ἐς τὸν ποταμὸν τὸν Ὕπανιν ἐκδίδωσιν ὕδατος πικροῦ πηγή. Πῶς δ' ἂν οὐκ ἀποδεξαίμεθα ἀληθεύειν αὐτῷ τὸν λόγον, ὅπου γε καὶ ἐφ' ἡμῶν ἐν Δικαιαρχίᾳ τῇ Τυῤῥηνῶν ἐξεύρηται ὕδωρ σφίσι θερμόν, οὕτω δή τι ὀξὺ ὥστε τὸν μόλυβδον, διεξήει γὰρ διὰ μολύβδου ῥέον, ἔτεσι κατέτηξεν οὐ πολλοῖς.*

Her. IV. 52. *ἐκ ταύτης ὦν* (sc. *τῆς λίμνης*) *ἀνατέλλων ὁ Ὕπανις ποταμὸς ῥέει· ἐπὶ μὲν πέντε ἡμερέων πλόον βραχὺς καὶ γλυκύς ἐστι, ἀπὸ δὲ τούτου πρὸς θαλάσσης τεσσέρων ἡμερέων πλόον πικρὸς δεινῶς. ἐκδιδοῖ γὰρ ἐς αὐτὸν κρήνη πικρή, οὕτω δή τι ἐοῦσα πικρή, ἣ μεγάθεϊ σμικρὴ ἐοῦσα κιρνᾷ τὸν Ὕπανιν ποταμὸν ἐν ὀλίγοισι μέγαν. ἔστι δὲ ἡ κρήνη αὕτη ἐν οὔροισι χώρης τῆς τε ἀροτήρων Σκυθέων καὶ Ἀλαζόνων· οὔνομα δὲ τῇ κρήνῃ καὶ ὅθεν ῥέει τῷ χώρῳ σκυθιστὶ μὲν Ἐξαμπαῖος, κατὰ δὲ τὴν Ἑλλήνων γλῶσσαν Ἱραὶ ὁδοί.*

Pausanias pauca illa quae de Messeniorum terra eorum historiae adiunxit ornanda esse interpositis de variis rebus disserta-

[24]) Praeter Herodotum Arionis fata narrarunt Gellius (Noct. Att. XVI. 19), qui illius tantum verba videtur in Latinum sermonem convertisse, Dio Chrysostomus (or. 37 in.), qui et ipse Herodoto usus est. Hyginus (fab. 194, cf. etiam schol. Germanic. II. p. 165, 1—166, 4 et Robertum Eratosth. p. 201 sqq.) aliam traditionem secutus videtur esse; Apollinem enim Arioni per quietem se obtulisse salutisque viam ei monstrasse, delphinum autem postea in astrorum numero collocatum esse dicit. Ceterum Eratosthenes aliter delphini sidus inlustravit, cf. catasterism. p. 158 sq. Ovidius, ut Fasti (II. 83—118) suapte natura postulabant, chronici more rem enarrat eodem fere quo Hyginus modo; breviter mentionem faciunt Arionis Plin. N. H. IX. 28 et Aelian. de N. An. XII. 45; cf. omnino de Arionis fabula Lehrsii '*ueber wahrheit und dichtung in der griech. literaturgesch.*' in '*popul. aufs. a. d. alterth.*' p. 386 sqq.

[25]) cf. epimetrum II.

tiunculis ratus, ubi Methones (vel ut periegeseos codices scribunt, Mothones) monumenta recensuit, cum inter ea puteus quoque aquae pice permixtae fuisset commemorandus, ex historiarum mirabilium auctore nescio quo longum fontium numerum, qui essent vel colore vel gusto insignes, lectoribus proponit; deinde Herodotum quoque aliquid de miro quodam fonte tradere recordatus laudat eius auctoritatem; postremo ad Herodoti narrationem confirmandam quem ipse viderat fontem Puteolanum addit. Cum autem Herodotum citaret, omisit profecto summam rei; neque enim rivum amarum in Hypanin influere maxime est mirum, sed parvulo illo fonte magnum amnem amarum fieri[26]). Quod cum Pausaniae lectores intelligere non possent, tamen ipse periegeta recte cognovit; nam quod affert exemplum Puteolanum ita in Herodoti narrationem quadrat, ut Pausaniae Herodoti verbis uti licuerit, ut ostendunt verba Pausaniae *οὕτω δή τι ὀξὺ* collata cum Herodoti *οὕτω δή τι ἐοῦσα πικρή*.

LIBER V.

1. Paus. V. 26, 4. *τὸν γὰρ δὴ Μίκυθον τοῦτον Ἡρόδοτος ἔφη ἐν τοῖς λόγοις ὡς Ἀναξίλα τοῦ ἐν Ῥηγίῳ τυραννήσαντος γενόμενος δοῦλος καὶ ταμίας τῶν Ἀναξίλα χρημάτων ὕστερον τούτων ἀπιὼν οἴχοιτο ἐς Τεγέαν τελευτήσαντος Ἀναξίλα.*

Her. VII. 170. *ὁ δὲ Μίκυθος οἰκέτης ἐὼν Ἀναξίλεω ἐπίτροπος Ῥηγίου καταλέλειπτο, οὗτος ὅς περ ἐκπεσὼν ἐκ Ῥηγίου καὶ Τεγέην τὴν Ἀρκάδων οἰκήσας ἀνέθηκε ἐν Ὀλυμπίῃ τοὺς πολλοὺς ἀνδριάντας.* 10

Olympiae in sacro nemore permultae collocatae erant statuae Jovi Olympio a Micytho Choeri filio dedicatae, quas enumerans Glauci artificis aetatem erui posse ratus ex Micythi tempore, addit Pausanias ea quae ex Herodoto de Micythi fatis compererat iisque ex Olympicarum inscriptionum codice quo utebatur[27]) pauca de

[26]) Monere satis erit fontem illum amarum certe non nisi in scriptorum opinione extare cur prope ostium amarus fiat amnis quaerentium; id autem accidere aqua marina fluctibus in amnem delata hodie nemo non intelligit. Sed fabula apud veteres inde ab Herodoto saepe commemoratur, cf. Ovid. Met. XV. 285 sq. Vitruv. 8, 3, 11. Mela II. 7. Steph. Byz. v. Ὕπανις alios.

[27]) cf. G. Treu, '*vermischte bemerkungen*' in '*arch. ztg.*' 1882 p. 72 sqq. et G. Hirschfeld '*Pausanias und die inschriften von Olympia*' in eodem libro p. 97 sqq.

eius genere nec non de causa dedicationis subiungit. Herodotum igitur exscripsit Pausanias: tamen si accuratius verba ipsa inspexeris, hoc loco utrumque scriptorem verbis fere nunquam congruere videbis, sed Pausaniam quasi consulto aliis vocibus uti: quem morem postea saepius animadvertemus. Dicit pro *οἰκέτης ἐὼν* — *γενόμενος δοῦλος*, *ταμίας* pro *ἐπίτροπος*, *οἴχεσθαι* pro *ἐκπίπτειν*. Sed cum eleganter variare vellet orationem suam, obscuram eam reddidit: aliter enim possunt intelligi atque ipse voluit, cum ex iis Anaxila etiam vivo Micythum bona administrasse et post regis mortem statim Tegeam se contulisse concludere possimus. Quare eum quod negligentius Herodoti verba, quam debuisset, referret Pfundtnerus vituperavit[28]), id quod non concedo: potest enim idem verbis inesse sensus qui Herodoteis, nec tam accusandus videtur periegeta, quod negligens fuerit, quam quod sententiam suam plana atque perspicua oratione exprimere non potuerit. Re ipsa cum Herodoto adsentiri neque aliud quidquam de Micytho scire nisi quod historiae pater narraverit[29]) pro certo affirmaverim.

Ab libro VI. usque ad IX. Herodotus non laudatur.

LIBER X.

11 1. Paus. X. 20, 1 sqq. *ἐπὶ μέν γε τὸν Μῆδον ἀφίκοντο τοσοίδε Ἑλλήνων·*	Her. VII. 202 sq. *ἦσαν δὲ οἵδε Ἑλλήνων οἱ ὑπομένοντες τὸν Πέρσην ἐν τούτῳ τῷ χώρῳ·*

---

[28]) in Fleckeiseni annalibus 99 p. 441 sq.

[29]) copiosius de Micytho disseruit Diodorus XI. 59; 66, quem tamen neque ipsum neque eius fontem a Pausania inspectum esse ex eo vel intelligitur, quod Anaxilae hic aetatem perversissime ad Ol. XXIX refert (IV. 23, 10) cum ille recte eum Ol. LXXI, 3—LXXVI, 1 regnasse diceret. Multi de hoc Pausaniae errore scripserunt, egregie autem Bentleius in dissertatione clarissima de Phalaridis epistolis scripta p. 192—212 (ed. W. Ribbeck) hoc loco Pausaniam falsa tradere demonstravit. cf. praeterea Barthélémy, '*voyage du jeune Anacharsis*' ed. Fischer-Haupt VII. p. 207 sqq. et Philippi Kohlmann quaestiones Messeniacas (diss. inaug. Bonn 1860) p. 53 sq., qui cum Pausaniae errorem ad Rhiani Messeniaca referendum esse censeret, coniecturam suam etsi veri non dissimilem esse, tamen fundamento satis firmo egere ipse intellexit.

Λακεδαιμόνιοι οἱ μετὰ Λεωνίδου τριακοσίων οὐ πλείονες,	Σπαρτιητέων τε τριηκόσιοι ὁπλῖται
Τεγεᾶται πεντακόσιοι καὶ ἐκ Μαντινείας ἴσοι,	καὶ Τεγεητέων καὶ Μαντινέων χίλιοι, ἡμίσεις ἑκατέρων,
παρὰ δὲ Ὀρχομενίων Ἀρκάδων εἴκοσί τε καὶ ἑκατόν, ἀπὸ δὲ τῶν ἄλλων χίλιοι τῶν ἐν Ἀρκαδίᾳ πόλεων,	ἐξ Ὀρχομενοῦ τε τῆς Ἀρκαδίης εἴκοσι καὶ ἑκατόν, καὶ ἐκ τῆς λοιπῆς Ἀρκαδίης χίλιοι· τοσοῦτοι μὲν Ἀρκάδων,
ὀγδοήκοντα δὲ ἐκ Μυκηνῶν, καὶ ἐκ Φλιοῦντος διακόσιοι, διπλάσιοι δὲ τούτων Κορίνθιοι·	ἀπὸ δὲ Κορινθίων τετρακόσιοι καὶ ἀπὸ Φλιοῦντος διακόσιοι, καὶ Μυκηναίων ὀγδώκοντα.
	οὗτοι μὲν ἀπὸ Πελοποννήσου
παρεγένοντο δὲ καὶ Βοιωτῶν ἑπτακόσιοι ἐκ Θεσπείας,	παρῆσαν, ἀπὸ δὲ Βοιωτῶν Θεσπιέων τε ἑπτακόσιοι
καὶ Θηβαίων τετρακόσιοι.	καὶ Θηβαίων τετρακόσιοι.
χίλιοι δὲ Φωκέων ἐφύλασσον μὲν τὴν ἄτραπον ἐν τῇ Οἴτῃ, πρόσεστιν δὲ τῷ παντὶ Ἑλληνικῷ καὶ ὁ ἀριθμὸς ὁ τούτων. Λοκροὺς δὲ τοὺς ὑπὸ τῷ ὄρει τῇ Κνήμιδι Ἡρόδοτος μὲν οὐχ ὑπήγαγεν ἐς ἀριθμόν, ἀλλ' ἀφικέσθαι σφᾶς ἀπὸ πασῶν ἔφη τῶν πόλεων. τεκμήρασθαι δὲ ἀριθμὸν καὶ τούτων ἔστιν ἐγγύτατα τοῦ ἀληθοῦς· ἐς Μαραθῶνα γὰρ Ἀθηναῖοι σὺν ἡλικίᾳ τε τῇ ἀχρείῳ καὶ δούλοις ἐνακισχιλίων ἀφίκοντο οὐ πλείους· τὸ οὖν μάχιμον Λοκρῶν τὸ ἐς Θερμοπύλας ἐλθὸν οὐκ ἂν	πρὸς τούτοισι ἐπίκλητοι ἐγένοντο Λοκροί τε οἱ Ὀπούντιοι πανστρατιῇ καὶ Φωκέων χίλιοι.

ὑπέρ γε ἑξακισχιλίους ἀριθμοίη τις· οὕτω γένοιτο ἂν ὁ σύμπας στρατὸς διακόσιοι καὶ χίλιοι καὶ μύριοι.

Pausaniam hoc loco nihil nisi Herodoti verba respicere manifestum est; etiamsi enim non diceret, res ipsa clamaret, praesertim cum conferremus indicem Pausanianum cum Diodoro (lib. XI. 4). Sed ipse apertissime Herodotum se sequi profitetur eiusque verba coniiciendo supplere conatur. Qua de re quoniam dubitari nequit, perutile videtur, quomodo Herodoto usus sit periegeta animadvertere. Nam minime auctoris sui indicem ad verbum exscripsit, sed de industria ordinem quidem servavit enumerationis, verba autem ipsa paene omnia mutavit: non modo pro Persis Medos, pro Spartanis Lacedaemonios dicit, sed etiam quod apud Herodotum supplendum tantum est ad Boeotos verbum *παρῆσαν*, ipse verbo *παρεγένοντο* Boeotis quin apponat facere non potest. Huc accedit quod, quas Herodotus lectoribus computandas reliquit Tegeatarum Mantinensiumque copias, earum periegeta utriusque enumerat civitatis milites separatim, quas autem ille singulas attulerat Corinthiorum Phliasiorumque, in problematis modum redegit. Quid plura? Consulto orationem Herodoteam variatam esse ab Pausania apparet. Sed hic quoque Herodotus propter comparationem tantum adhibetur, ut saepius in periegeseos libris factum esse iam demonstravimus: comparantur enim copiae Leonidae cum iis quae postea Galatarum invasioni restiterunt[30]).

12 2. Paus. X. 32, 8. *Τιθορέα δὲ ἀπωτέρω Δελφῶν ὀγδοήκοντα, ὡς εἰκάσαι, σταδίοις ἐστὶν ἰόντι τὴν διὰ τοῦ Παρνασοῦ· τὴν δὲ οὐ πάντα ὀρεινήν, ἀλλὰ καὶ ὀχήμασιν ἐπιτήδειον πλεόνων ἔτι ἐλέγετο εἶναι σταδίων. Διάφορα ἐς τὸ ὄνομα οἶδα τῆς πόλεως Ἡροδότῳ τε εἰρημένα ἐν ἐπιστρατείᾳ τοῦ*

Her. VIII. 32. *ὡς δὲ ἐκ τῆς Δωρίδος ἐς τὴν Φωκίδα ἐσέβαλον, αὐτοὺς μὲν τοὺς Φωκέας οὐχ αἱρέουσι. οἱ μὲν γὰρ τῶν Φωκέων ἐς τὰ ἄκρα τοῦ Παρνησοῦ ἀνέβησαν· ἔστι δὲ ἐπιτηδέη δέξασθαι ὅμιλον τοῦ Παρνησοῦ ἡ κορυφή, κατὰ Νέωνα πόλιν κειμένη ἐπ' ἑωυτῆς· Τιθορέα οὔνομα αὐτῇ· ἐς τὴν δὴ ἀνηνείκαντο,*

---

[30]) Compluria etiam in ipsius invasionis narratione Herodotum Persarumque bellum imitari infra demonstrabitur. cf. cap. III.

Μήδου καὶ Βάκιδι ἐν χρησμοῖς. Βάκις μέν γε Τιθορέας τοὺς ἐνθάδε ἐκάλεσεν ἀνθρώπους. Ἡροδότου δὲ ὁ ἐς αὐτοὺς λόγος ἐπιόντος φησὶ τοῦ βαρβάρου τοὺς ἐνταῦθα οἰκοῦντας ἀναφυγεῖν ἐς τὴν κορυφήν, ὄνομα δὲ Νέωνα μὲν τῇ πόλει, Τιθορέαν δὲ εἶναι τοῦ Παρνασοῦ τῇ ἄκρᾳ. ἔοικεν οὖν ἀνὰ χρόνον πρῶτα μὲν τῇ ἁπάσῃ χώρᾳ, μετὰ δὲ ταῦτα, ἐπειδὴ ἀνῳκίσθησαν ἀπὸ τῶν κωμῶν, ἐκνικῆσαι καὶ ἐπὶ τῇ πόλει Τιθορέαν μηδὲ ἔτι Νέωνα ὀνομάζεσθαι. καὶ αὐτοὶ ἀνέβησαν· οἱ δὲ πλεῦνες αὐτῶν ἐς τοὺς Ὀζόλας Λοκροὺς ἐξεκομίσαντο, ἐς Ἄμφισσαν πόλιν τὴν ὑπὲρ τοῦ Κρισαίου πεδίου οἰκεομένην.

Tithoream vel Tithoram[31]), urbem prope Parnassum sitam, commemorans Pausanias de ea differre animadvertit Herodotum et Bacidis vatis oracula. Cum enim hic oraculo Thebanis dato de terra Antiopae busto allata cecinisset '*ἀλλ' ὁπόταν Τιθορεὺς κτλ.*'[32]), ita ut totam regionem Tithoreae nomine nuncuparet, apud illum nullum quidem est oppidum Tithorea, vero ipsius vertex montis ita appellatur. Qua de causa Pausanias ita recte rem expedivisse sibi videtur: primum montis cacumen nomen habuisse Tithoream, quod tum Bacidis tempore toti regioni inditum esset; postea autem, cum Neon oppidum reficeretur, hanc Tithoream nominatam esse[33]). Iam quaerendum videtur, num suo iure haec omnia sibi finxerit Pausanias, ac primum quidem num re vera Tithorea et Neon idem oppidum sint, deinde num recte Herodotum intellexerit periegeta. Quid autem iudicabimus, si testis sane omnium certissimus, utpote qui ipse haud procul a Parnasso monte

---

[31]) Idem est nomen *Τιθορέα* et *Τιθόρα* (*Τιθόῤῥα*), cf. *στερεός* — *στεῤῥός*. Tithoram urbem appellant Plutarchus nec non inscriptiones. Pausanias autem de nominis forma cum Herodoto consentit. Stephanus Byzantius in eo quod ante oculos habuit periegeseos exemplo legit *Τιθοραία*.

[32]) Hanc historiolam iam antea narraverat Pausanias IX. 17, 4 sq.; consuevit enim, si ea quae excerpserat sibi placebant, compluribus locis inserere, ut modo vidimus de solis tabula et de crocodilis.

[33]) Dirutum enim esse oppidum bello sacro a Philippo Amyntae filio Pausanias cognitum habuit ex auctore illo, cuius libro historico usus est a cap. I—III.

natus sit, Plutarchus Chaeroneensis, aperte repugnet Pausaniae? Dicit enim Sull. 15, 5sq. *διὰ ταῦτα μὲν ἐς τὴν Βοιωτίαν ἀνέζευξεν ὁ Σύλλας. Ὁρτήσιον δὲ Κάφις, ἡμέτερος ὤν, ἑτέραις ὁδοῖς ψευσάμενος τοὺς βαρβάρους διὰ τοῦ Παρνασοῦ κατήγεν ὑπ' αὐτὴν τὴν Τιθόραν, οὔπω τοσαύτην πόλιν οὖσαν, ὅση νῦν ἐστίν, ἀλλὰ φρούριον ἀποῤῥῶγι κρημνῷ περικοπτόμενον, εἰς ὃ καὶ πάλαι ποτὲ Φωκέων οἱ Ξέρξην ἐπιόντα φεύγοντες ἀνεσκευάσαντο καὶ διεσώθησαν. ἐνταῦθα καταστρατοπεδεύσας Ὁρτήσιος ἡμέρας μὲν ἀπεκρούσατο τοὺς πολεμίους, νύκτωρ δ' ἐπὶ Πατρωνίδα ταῖς δυσχωρίαις καταβὰς ἀπαντήσαντι τῷ Σύλλᾳ μετὰ τῆς δυνάμεως συνέμιξεν.* Eodem igitur loco Hortensium ait castra posuisse, quo Phocenses a Xerxe pulsi confugissent, in oppido nimirum Tithora, quod loci declivitate undique munitum multis fugientibus praesidio esse potuisset.

Quamobrem, si oppidum quantulumcunque erat belli Persici aetate Tithora, idem esse non potuit cum Neone, quod Herodotus praeter Tithoram affert (VIII. 33). Itaque aut Herodotus falsa tradidit aut Pausanias Herodotum male intellexit[34]). Ac profecto respicias Herodoti verba *ἔστι δὲ .... τοῦ Παρνησοῦ ἡ κορυφή, κατὰ Νέωνα πόλιν κειμένη ἐφ' ἑωυτῆς· Τιθορέα οὔνομα αὐτῇ.* Quid dicere vellent verba *κειμένη ἐφ' ἑωυτῆς*, nisi locum Tithoream nominatum in regione quidem situm esse urbis Neonis, sed ab ea disiunctum per se oppidum vel castellum esse? Quod autem Herodotus pro castello in vertice montis sito vel summo monti applicato montem ipsum dixerit, sane ignosci potest.

Ter igitur hoc loco erravit Pausanias, cum et Herodotum et Bacidem male intelligeret et quae sibi in eorum verbis repugnare viderentur, coniectura expediri posse crederet.

---

[34]) In eandem sententiam abiit N. H. Ulrichsius (*'topographie und inschriften von Tithora'* in museo Rhenano n. s. II p. 547 = *'reisen und forschungen'* II p. 114 sqq.), qui et ipse haec loca vidit, cum summum montem diu defendi posse negaret: Daulide enim esse facillimum huc aditum. Neonem praeterea commemorant Demosthenes XIX p. 148, Androtio apud Harpocrat. s. v. *Νεῶσι* cf. s. v. *Νεών*, Demetrius Scepsius ap. Strab. IX p. 439. Diogenian. ap. Phot. v. *Νεών*. Certe igitur Demetrii aetate (II. saec.) fuit oppidum Neon appellatum, quo iam refutatur Pausaniae de nominis translatione coniectura. Praeterea veri est dissimile a Bacide Tithorenses dictos esse regionis totius neque oppidi Tithoreae incolas, id quod ne Pausanias quidem credidisset nisi coniecturae suae amore.

3. Paus. X. 33, 7 sq. *γῆ δὲ διακεκριμένως ἀρίστη τῆς Φωκίδος ἐστὶν ἡ παρὰ τὸν Κηφισὸν καὶ φυτεῦσαι καὶ σπείρειν καὶ ἀνεῖναι νομάς· καὶ γεωργεῖται ταῦτα μάλιστα τῆς χώρας, ὥστε καὶ λόγος ἐστὶ πόλιν μὲν Παραποταμίους μὴ ὀνομασθῆναι, ἐπὶ δὲ τῶν παρὰ τὸν Κηφισὸν γεωργούντων πεποιῆσθαι τὸ ἔπος·*

οἵ τ' ἄρα πὰρ ποταμὸν Κηφισὸν δῖον ἔναιον.

τούτῳ τῷ λόγῳ διάφορα μὲν ἐν τῇ Ἡροδότου συγγραφῇ, διάφορα δέ ἐστιν αὐτῷ καὶ ὅσα ἐπὶ ταῖς νίκαις ταῖς Πυθικαῖς μνημονεύουσιν. Ἀμφικτύονες γὰρ Πύθια ἐτίθεσαν πρῶτον, καὶ Αἰχμέας Παραποτάμιος πυγμὴν ἐνίκησεν ἐν παισίν· ὡσαύτως δὲ Ἡρόδοτος καταλέγων τὰς πόλεις ὅσας βασιλεὺς Ξέρξης τῶν ἐν Φωκεῦσιν ἐνέπρησε, καὶ Παραποταμίους κατείλοχεν ἐν αὐταῖς πόλιν. οὐ μέντοι οἱ Παραποτάμιοί γε ὑπὸ Ἀθηναίων καὶ Βοιωτῶν ἀνῳκίσθησαν, ἀλλὰ ἐς τὰς ἄλλας πόλεις οἱ ἄνθρωποι κατενεμήθησαν ὑπό τε ἀσθενείας καὶ σπάνει χρημάτων. Παραποταμίων μὲν δὴ οὔτε ἐρείπια ἔτι ἦν οὔτε ἔνθα τῆς χώρας ᾠκίσθη ἡ πόλις μνημονεύουσιν.

Her. VIII. 33. *πορευόμενοι* 13
γὰρ ταύτῃ παρὰ τὸν Κηφισὸν ποταμὸν ἐδηίουν πάντα, καὶ κατὰ μὲν ἔκαυσαν Δρυμὸν πόλιν, κατὰ δὲ Χαράδραν καὶ Ἔρωχον καὶ Τεθρώνιον καὶ Ἀμφίκαιαν καὶ Νέωνα καὶ Πεδιέας καὶ Τριτέας καὶ Ἐλάτειαν καὶ Ὑάμπολιν καὶ Παραποταμίους καὶ Ἄβας, ἔνθα ἦν ἱρὸν Ἀπόλλωνος πλούσιον, θησαυροῖσί τε καὶ ἀναθήμασι πολλοῖσι κατεσκευασμένον· ἦν δὲ καὶ τότε καὶ νῦν ἔτι χρηστήριον αὐτόθι· καὶ τοῦτο τὸ ἱρὸν συλήσαντες ἐνέπρησαν[35]).

35) De Abis eorumque templo incenso v. infra cap. II n. 118.

Parapotamii quo loco stetissent nemo cum posset ostendere[36]), fuerunt qui oppidum fuisse negarent nec Homerum (B 522) aliud quidquam quam agricolas ad Cephisi ripas habitantes, nullis antem civitatis (*δήμου*) vinculis coactos significasse pro certo affirmarent. Quibus duas opponit causas Pausanias: primum, *ὅτι ,Ἀμφικτύονες Πύθια ἐτίθεσαν πρῶτον καὶ Αἰχμέας Παραποτάμιος πυγμὴν ἐνίκησεν ἐν παισίν.*'

Haec verba, quae chronici modo res enarrant, ex chronologico quodam fonte hausta esse apparet. Tum Herodoti facta mentione, qui inter oppida ab Xerxe deleta Parapotamios quoque referret, addit scriptor postea urbem refectam non esse, cum Athenienses Boeotique argenti penuria coacti restituere noluissent hominesque in singulas Phocidis urbes distribuissent. Itaque post bellum Persarum Parapotamii urbs non fuit? At vide quae idem Pausanias in historica narratione (X. 3, 2 sq.) tradit: *καὶ ἐς ἔδαφος ἁλοῦσαι κατεβλήθησαν τῶν Φωκέων αἱ πόλεις· ἀριθμὸς δὲ ἦν αὐτῶν Λίλαια καὶ.... καὶ Παραποτάμιοι καὶ.... τούτων μὲν δὴ ὄνομα ἦν ἐκ παλαιοῦ, καὶ οὐχ ἥκιστα ἐπῶν ἕνεκα τῶν Ὁμήρου· τὰς δὲ αὐτῶν ἡ στρατιὰ καταπρήσασα ἡ μετὰ Ξέρξου γνωριμωτέρας ἐς τὸ Ἑλληνικὸν ἐποίησεν, Ἐρωχὸν καὶ Χαράδραν καὶ Ἀμφίκλειαν καὶ Νεῶνα καὶ Τιθρώνιον καὶ Δρυμαίαν· αἱ δὲ ἄλλαι.... τὰ πρότερα οὐκ ἐπιφανεῖς ἦσαν, Τραχίς τε.... καὶ Στεῖρις· τότε δὲ* [Ol. 108, 1 = 348] *κατεσκάφησάν τε αἱ κατειλεγμέναι, καὶ ἐς κώμας πλὴν Ἄβας ᾠκίσθησαν αἱ ἄλλαι·.... ἀνὰ χρόνον μέντοι τοῖς Φωκεῦσιν αἱ πόλεις ἀνῳκίσθησαν καὶ ἐς τὰς πατρίδας κατήχθησαν ἐκ τῶν κωμῶν, πλὴν εἰ μὴ ἀνοικισθῆναί τινας ἐκώλυσεν ἀσθένειά τε ἡ ἐξ ἀρχῆς καὶ*

[36]) Bello sacro oppidum deletum erat a Philippo, id quod Pausanias in fonte suo historico invenit, cf. X. 3, 2; praeterea tanquam urbem commemorant Strabo IX. 407 (ex Apollodoro); 416; 424 et Steph. Byz. v. *Παραποταμία*. Plutarchus (Sull. 16) cum diceret quidem quo loco steterit urbs, sed Sullae eam aetate iam non extitisse affirmaret, sequitur post bellum sacrum eam refectam non esse. Quare facile declaratur, cur Homeri commentatores alii fuisse urbem Parapotamios contenderint, negaverint alii, cf. schol *B* 522 (*οἵ τ' ἄρα πὰρ ποταμὸν Κηφισὸν δῖον ἔναιον*] Ven. A: *οὗτοι Ἐπικηφίσιοι λέγονται, ὑπὸ δέ τινων Παραποτάμιοι.* Ven. B: *οἵ* ⟨*αἵ* cod.⟩ *ποτάμιοι* ⟨l. *παραποτάμιοι*⟩ *καλοῦνται· τοῦτο δὲ τὸ ὄνομα μέτρῳ οὐχ ὑπόκειται*).

ἡ τῶν χρημάτων ἐν τῷ τότε ἔνδεια. Ἀθηναῖοι δὲ καὶ Θηβαῖοι σφᾶς ἦσαν οἱ κατάγοντες, κτλ.

Bello igitur sacro steterunt Parapotamii deletique sunt a Philippo! Quid? nonne iam Xerxes everterat? Ibi ex Herodoto sic narraverat, hic oppida quidem Phocidis nonnulla ab Xerxe deleta esse dicit, sed Parapotamios in eorum numero non refert. Athenienses igitur et Boeoti (ex Amphictionum certe mandato) reficiendas curabant Phocensium urbes, nisi quas propter penuriam non poterant! Quid? nonne id Xerxis iam aetate factum est? Iam quid faciendum est, cum omnia perturbata videantur? Atque hoc quidem certum videtur, urbem ex Persarum ruinis refectam esse, sed denuo bello sacro deletam non resurrexisse. Pausanias igitur X. 3, 2, ubi historicum quendam fontem contraxit, recte fere rem enarravit; postea cum in ipsa periegesi ad Parapotamios veniret, recordatus eorum, quae supra scripserat, eandem narrationem repetivit; sed hic, ubi non summatim de Phocensium historia ageretur, sed de unius tantum oppidi fatis, copiosius auctore suo usus est. Amplius igitur ex fonte suo illustrat locum Homericum, quem X. 3, 2 obiter tantum laudavit; addit chronologicam de Aechmea adnotationem. Deinde cum ei in fonte de oppidis ab Xerxe combustis legenti in memoriam veniret Herodotum inter ea Parapotamios quoque recensere, laudat patrem historiae et temporis non habita ratione statim quae ad secundam pertinebant disturbationem priori adnectit. Perversa igitur ratione Herodotum cum auctore suo historico coniungit; quod autem ne ruinas quidem oppidi dicit iam esse, neque quemquam scire quo steterit loco, certe ex fonte exscripsit; si enim (id quod verbis *ἔτι ἦν* significare vult) ipse eam regionem vidisset, facile ex Phocensibus locum comperire poterat, cf. Plut. Sull. 16, qui eum accuratissime describit.

4. Paus. X. 33, 9. *ταύτην τὴν Ἀμφίκλειαν ἐλυμήναντο οἵ* 14
τε ἐπιχώριοι τῷ ὀνόματι, καὶ Ἡρόδοτος μὲν Ἀμφίκαιαν ἐκάλεσεν ἑπόμενος τῷ ἀρχαιοτάτῳ τῶν λόγων, Ἀμφικτύονες δὲ δόγμα ἐπὶ τῇ τῶν πόλεων ἀπωλείᾳ τῶν ἐν Φωκεῦσιν ἐξενεγκόντες ὄνομα ἔθεντο αὐτῇ Ἀμφίκλειαν· sequitur fabula ab Phocensibus de urbe narrata. *καὶ ἀπὸ τοῦ δράκοντος ἐκείνου τὴν πόλιν ἐθέλουσιν Ὀφιτείαν ὀνομασθῆναι.*

cf. Her. VIII. 33 (verba ad n. 13 exscripta sunt).

De Amphicaea Phocidis urbe eiusque nominis origine fabulam periegeta profert haud raram; saepe enim, neque apud Graecos

tantum, infantes defensos esse ab anguibus illisque simul cum his moriendum esse in fabulis traditur[37]). Ex illa autem fabula (*τῷ ἀρχαιοτάτῳ τῶν λόγων*, ut recte Pausanias monet) ortum est nomen Amphicaea, quod apud Herodotum legimus: nam *τὸ χωρίον ἐοικέναι καὶ ἐς τόδε καιομένῃ πυρᾷ φασί.* Contra decretum Amphictionum de Phocensium urbibus anno Ol. 108, 3 = 346 editum urbem appellat Amphicleam, quamobrem dubitari non potest, quin tempore illo re vera urbi fuerit nomen Amphicleae. Quae cum ita sint, coniiceremus corruptam esse codicum Herodoti lectionem satis antiquo tempore, nisi coniunctum esset nomen illud cum fabula suapte natura summam antiquitatem redolente. Proinde facere non possumus quin Herodoti tempore homines, memores iam veteris fabellae, urbi Amphicaeae nomen dedisse credamus, quod nomen cum oblivisceretur quid olim significasset, populi ore mutatum esse in appellationem magis perspicuam atque ad vulgarem popularemque sensum accommodatam, quae postea publice quoque recepta esset. Sed nova huc accedit difficultas tertio nomine, Ophitea, quod nomen eodem modo cohaerere cum loci fabula, quo Amphicaea, apertum est. At quamquam duplex urbis appellatio alias quoque invenitur (Corinthus = Ephyra, Athenae = Cecropia) tamen eodem tempore duobus nominibus ex eadem fabula ortis homines usos esse credi non potest. Immo vero illud verisimile nobis videtur, nomen urbis publice probatum Amphicaeam fuisse, Ophiteae autem urbi datum esse nomen in mysteriis Dionysiis ibi celebratis (cf. Paus. X. 33, 11): quomodo anguis omnino deos terrestres significat, sic apud Amphicaeenses coniunctus videtur esse cum sacris Dionysiis[38]), ideoque urbs ipsa mystice ab angue nomen accepisse.

15 5. Paus. X. 33, 12. *ἀπέχει δὲ Ἀμφικλείας ἡ Δρυμαία σταδίους ὀγδοήκοντα ἀποτραπέντι ἐς ἀριστεράν,* [*καλουμένη καὶ Δρυμὸς*[39])] *κατὰ Ἡροδότου τοὺς λόγους, Ναυβολεῖς δὲ τὰ ἀρχαιότερα.* cf. Her. VIII. 33. (v. n. 13.)

[37]) Satis videtur Erichthonium Helenumque commemorare (cf. etiam Germanorum de anguibus fabulas, e. g. L. Bechstein '*neues deutsches märchenbuch*' Vindobon. 1866 p. 11 sqq.; 162 sqq.; 280 sqq.) ubicunque autem haec narrantur, coniuncti esse aliquo modo infantes illi videntur cum diis inferis. Praesertim pristini temporis reges talibus fabellis tanquam terra geniti celebrari solent; praeterea etiam vates, partem certe artis suae ab inferis derivantes.

[38]) cf. Prelleri mythologiam Graecam I[3] p. 577 sq.

[39]) Perplacet coniectura Buttmanni, qui verbis *καλουμένη καὶ Δρυμὸς* insertis lacunam iam ab Sylburgio notatam explere conatus est. Tamen eam

Pausanias cum hoc loco nihil nisi variam lectionem ex Herodoto adnotet, verba ipsa commentarium non desiderant.

Intelleximus igitur universa locorum serie perspecta semper fere Pausaniam quae in fontibus suis legisset, cum Herodoto comparare, quem in libro I. ter, II. ter, III. bis, IV. semel, V. semel, X. quinquies laudavit. Iam vero quaerendum videtur, num aliis quoque locis occulta Herodoti vestigia in periegetae libris deprehendi possint*).

(quamquam de sensu dubitari non potest) scriptoris verbis non inseruissem nisi perspicuitatis causa lacunam evitandam esse censuissem, quoniam hoc loco non de verbis sed de re ipsa agitur. Valckenaerii autem transpositio audacior est quam felicior.

*) Quae mihi hoc loco usque ad finem perducere non licuit, amplius exposui libro, qui mox Berolini apud Weidmannos prodibit.

V I T A.

Natus sum Iohannes Conradus Wernicke Berolini a. h. s. LXII die XVII mensis Aprilis patre Carolo Wernicke, quem Berolini professoris munere functum iam dudum praematura morte mihi ereptum esse magnopere doleo, matre Florentina e gente Schneeweiss. Fidei addictus sum evangelicae. Ut eruditionis elementa discerem, VI annos natus in scholam Regiam Berolinensem receptus sum, qua absoluta auctumno anni h. s. LXX gymnasium Fridericum Guilelmum frequentavi, quod tum ab beato Ferdinando Rankio regebatur, nunc autem sub Arminii Kernii auspiciis floret. Imprimis me ut in antiquitatis studia incumberem incitaverunt vv. dd. Borchard Braumann Wagner, quorum in me merita grata semper piaque tenebo memoria. Vere anni CIƆIƆCCCLXXIX maturitatis testimonio instructus adii, ut operam navarem studiis archaeologicis et philologicis, universitatem Fridericam Guilelmam Berolinensem, cuius per septies sex menses civis fui. Deinde usque ad hoc tempus privatim studiis occupatus sum archaeologicis. Docuerunt autem me vv. dd. Bresslau Curtius Furtwaengler Geiger A. Kirchhoff Lazarus Paulsen Robert Scherer Treu Vahlen Zeller. Benignitate factum est Curtii Furtwaengleri Roberti, ut exercitationibus interessem archaeologicis, Vahleni philologicis, Kirchhoffii epigraphicis. Quibus omnibus gratias ago quam maximas, imprimis autem Roberto, qui quantum de me meruerit vix dicere possum.

SENTENTIAE.

1.

In libelli *περὶ ὕψους* cap. 14, 1 codicis P lectio *προπίπτοντα* contra Manutii coniecturam *προσπίπτοντα* tuenda est.

2.

Aristoph. Nub. v. 297 sic legendus est:
ἀλλ' εὐφήμει· μέγα γὰρ νεφελῶν κινεῖ τὸ σμῆνος ἀοιδήν.
codd. *μέγα γάρ τι θεῶν κινεῖται σμῆνος ἀοιδαῖς.*

3.

Eurip. Iph. Aul. vv. 1207 sq. sic legendi sunt:
εἰ δ' εὖ λέλεκταί μοι λόγος, σὺ μὴ κτάνῃς
τὴν σήν τε κἀμὴν παῖδα, καὶ σώφρων ἔσει.
codd. *λέλεκται νῷ μὴ δή γε κτάνῃς.*

4.

Quos E. Maassius (de Sibyllarum indicibus) ab Alexandro Polyhistore scriptos fuisse libros demonstravit *περὶ τοῦ ἐν Δελφοῖς χρηστηρίου* et *περὶ Λυκωρείας*, ii ad unum opus pertinent cuius hic primus erat, ille secundus liber.

5.

In templo Minervae Virginis clarissimo Atheniensi Parthenonis nomine appellabatur illa cellae pars, ubi deae simulacrum eburneum collocatum erat.